DE

POENIS LIBERTORVM. INGRATORVM APVD. ROMANOS

CONSENSV

AMPLISS. PHILOSOPHORVM. ORDINIS

DISPVTABIT

IACOBVS. HENRICVS. BORN. A. M

RESPONDENTE

IOANNE. GOTTLIEB. FRIDERICI

LIPSIAE. A. D. XI. IVNII A. CIↃ IↃCC XXXVIII

EX. OFFICINA. LANGENHEMIANA

DE

POENIS LIBERTORVM INGRATORVM APVD ROMANOS.

§. I.

Facturusne operae pretium ſim, ſi poenas ingratorum libertorum, in legibus pariter atque ſcriptoribus Romanis paſſim commemoratas, hac academica exercitatione expenderem, dubius diu conſiliique incertus haeſi. Etenim exornatum ſatis initio videbatur argumentum, quod iam ante me pertractandum tot viri clariſſimi ſuſceperant. Sed incenſus eo maiori cupiditate ſum, vbi deprehendi, celeberrimos homines in minimis eſſe verſatos, atque ipſam paene meſſem pro ſpicilegio poſteris reliquiſſe. Quaeſiuere dudum doctrinae moralis ciuilisque prudentiae magiſtri,*) num inter crimina referri, et poenis ciuilibus cohiberi debeat ingrati labes animi? Ex antiquis philoſophis in vtramque partem praeclare diſputauit L. ANNAEVS SENECA, cuius ſe-

Instituti ratio. Ingratus animus an crimen? etc.

ptem *de beneficiis* libri vel eo nomine meditatam merentur lectionem; quamuis negari nequeat, eum nonnunquam Stoae nimium indulsisse. Recentiorum plerique, quum ad arduum hoc examen exiguam iudicandi virtutem attulissent, nil protulere in medium, nisi apinas et tricas, et si quid vilius istis. Huc fere pertinent, quae operose congessit CAR. PASCHALIVS.[2]) Sane vir doctissimus praeclare rebus suis consuluisset, si IO. ANT. CAMPANI[3]) exemplo, penitus omittere litem, quam frigide pertractare, maluisset. Vt, quod meum sit de ancipiti hac quaestione iudicium, paucis expediam, equidem negare nequeo, probabilem videri illorum sententiam, qui bina constituunt hominum ingratorum genera,[4]) atque alios *simpliciter tales* vindictae diuinae committunt vnice;[5]) in alios contra *noui criminis* quidquam admiscentes praetorem etiam iure suo vti volunt. Qua tamen in re nec illud dissimulandum arbitror, iudices huius vniuersi non tam in ipsum mentis ingratae crimen animaduertere, quam luctuosissima prauae concitationis effecta coercere.

1) Ex instituto argumentum illud excoluere IO. IOD. HEDERVS in Diss. *de ingratitudine lege notata* Altdorfi CIↃIↃCCI. et IO. GERARDVS SCHLITTIVS in Diss. *de eo, quod iustum est circa ingratitudinem* Halae CIↃ IↃCCXXIII.

2) In *censura animi ingrati*, quae cum libro *de optimo genere elocutionis* Geneuae CIↃIↃCXX. 8. iunctim prodiit, c. XXX. p. 118. f.

3) In libris III. *de ingratitudine fugienda*, iterum a Celeb. MENCKENIO Lipsiae CIↃ IↃCC XXXIIII. 8. editis.

4) Eam diuisionem iam IVLIANVS IMP. protulit *orat.* III. *de encomio Eusebiae* p. 102. B. edit. Spanh. Ex recentioribus adoptarunt IAC. CONSTANTINAEVS *subtil. enodat.* L. II. c. 25. ap. EV. OTTONEM *thes. iur. Rom.* T. IV. p. 601. S. PVFENDORFF. *de I. N. et G.* L. III. c. 3. §. 17. p. 348. CH. THOMASIVS *institut. iurispr. diu.* L. II. c. 6. §. 53. f. G. G. TITIVS *obseru. ad Pufendorf.* 194. III. RECHENBERGIVS *inst. iur. nat.* L. I. tit. 12. §. 25. IO. GERARD. SCHLITTIVS Diss. cit. c. I. §. 8. p. 10.

5) Ad hos itaque solos pertinet, quod de vitio quouis ingrati animi LI-

LIVS

LIVS GREG. GYRALDVS *in παραινέσει aduersus ingratos*, inter Opp. a IO. IENSIO Amstel. CIϽIϽCXCVI. f. edita, T. II. p. 689–720. et IO. HENR. BOECLERVS *in app. differt. ad* GROTIVM *de iure belli et pacis* L. II. c. 20. No. III. p. 786. sqq. pronuntiarunt.

§. II.

Poenae ingrati incongruae etc.

Ea ergo est animi ingrati in se spectati indoles, vt de eo pro tribunalibus humanis aegre decerni queat. Nam et ipsam beneficii notionem euertunt ingratorum supplicia, et gratae menti suam detrahunt praestantiam. Tum crediti naturam beneficium induit, patronique foeneratoribus euadunt similes, qui, quum dies venit, morae impatientes, quae posuerant Kalendis, exigunt. Tum gratus animus inter virtutes morales numerari nequit amplius, quippe quarum natura perit, si ciuilibus poenis extorqueantur, earumque, vti certae pecuniae, concedatur actio. Praeterea, etiamsi haec parum curare velis omnia, variae tamen supersunt rationes, quae ingrati actionem introducere in forum vetant, ex quarum amplissimo campo binas in praesenti delibasse sufficiet, nimirum immanem litium segetem, ac difficilem rerum contingentium aestimationem. Denique exiguum foret, quod hisce poenis obtineretur, commodum. Manet inconcussa rerum publicarum salus, nec priuata turbatur ciuium felicitas, etiamsi clientes, aliorum liberalitate recreati, beneficiorum obliuiscantur. Imo ne ipsis quidem patronis proprie fit iniuria, quippe qui beneficium contulerunt. [1]) Fuere tamen aliquando tempora, quibus id tentarunt legum ciuilium conditores, vt non solum nefandis, quae pacem externam turbant, sceleribus adhiberent remedium, sed ipsos etiam prauitatis et malitiae fontes occluderent. Atque hunc sibi finem Persae et Macedones proposuerant, quum diram contra ingratos legem ferrent. [2]) De Persis XENOPHON [3]) scribit: Δικάζουσι δὲ καὶ ἐγκλή-

ἐγκλήματος, οὗ ἕνεκα ἄνθρωποι μισοῦσι μὲν ἀλλήλους μάλιστα, δικάζουσι δὲ ἥκιστα (melius alii οὐχ ἥκιστα) ἀχαριστίας, καὶ ὃν ἂν γνῶσιν δυνάμενον μὲν χάριν ἀποδιδόναι, μὴ ἀποδιδόντα δὲ, κολάζουσι καὶ τοῦτον ἰσχυρῶς. οἴονται γὰρ, τοὺς ἀχαρίστους καὶ περὶ θεοὺς ἂν μάλιστα ἀμελῶς ἔχειν, καὶ περὶ γονέας, καὶ πατρίδα, καὶ φίλους. ἕπεσθαι δὲ δοκεῖ μάλιστα τῇ ἀχαριστίᾳ ἡ ἀναισχυντία. καὶ γὰρ αὕτη μεγίστη δοκεῖ εἶναι ἐπὶ πάντα τὰ αἰσχρὰ ἡγεμών. Eandem rem, praeter THEMISTIVM [4]) et IO. TZETZEM,[5]) confirmat AMMIANVS MARCELLINVS,[6]) cui memoriam legum Perſicarum praecipue debemus. De Macedonibus L. ANNAEVS SENECA[7]) literis prodidit: *Excepta Macedonum gente, non eſt in vlla data aduerſus ingratos actio.* Vehementer miratus ſum, tantum valuiſſe apud M. ANT. MVRETVM[8]) ſcribae imperiti oſcitantiam, vt medica manu opus eſſe arbitraretur. Quum enim corruptam *Maedonum* vocem in veteri libro reperiſſet, *Medorum* nomen exſculpſit, quo Perſas nonnunquam deſignatos, ex VETERI ARISTOPHANIS INTERPRETE[9]) et CATVLLO[10]) operoſe demonſtrat. Mihi vero talis ſeſe nunquam probabit emendatio, cui et exarati manu et typis deſcripti codices ad vnum omnes refragantur. Neque tanti ponderis eſt motum a MVRETO dubium, non poſſe Macedonibus ſolis tribui, quod et inter Perſas rigide obſeruatum legitur. Namque barbaros data opera tacuiſſe, atque de ſolis cultioribus Graeciae Latiique gentibus locutus videtur SENECA, in quibus certe nulla, Macedonibus exceptis, ciuiles ingratorum poenas decreuerat. [11]) Quae enim inter reliquas de animi ingrati poenis leguntur inſtituta, ad praegnantem, quam vocant, ἀχαριστίαν pertinent fere omnia. Huic ſane rerum ordini accenſentur merito ingratorum libertorum poenae, quas academica hac exercitatione vlterius perſequi, in animum induximus.

1) Vid. PVFENDORFFIVS *de O. H. et C. L.* l. c 8. §. 8. p. 147. edit. Otton.

2) EV.

2) EV. OTTO *ad Pufend.* p. 147. *Poenas ingratorum nullas esse, iure gentium obtinet, solis Macedonibus et Persis exceptis.*

3) *Cyropaed.* L. I. c. 1. Segm. 7. Opp. T. I. p. 9. edit. Welsian. Oxon. in th. Scheldoniano CIↃ IↃCCIII. 8. typis descriptae.

4) *Orat.* III. (al. XXII.) p. 268. edit. Harduin. ὁ Περσικὸς νόμος δίκας εἰσπράττεται ἀχαριςίας, ὅτι μάλιςα ἐμποιεῖ μῖσος, ὅπῃ ἂν ᾖ· ὃ δὲ μηδεὶς κολάζει νόμος, ἐνταῦθά περ αὐτῆς μισῦσι μὲν ἀλλήλυς, ὐ δικάζονται δὲ, ἀλλὰ κρύπτυσι τὸ ἔχθος.

5) *Histor.* Chil. III. c. 98.

> Νόμος κοινός τις Περσικός ἐςι κατ᾽ ἀχαρίςων.
> Τὺς δυναμένυς σύμπαντας χάριν ἀποδιδόναι,
> Καὶ μὴ διδόντας ἰσχυρῶς εὐθύνων καὶ κολάζων.
> Τὺς ἀχαρίςυς οἴονται καὶ γὰρ πρὸς τὴν πατρίδα,
> Καὶ πρὸς γονεῖς, καὶ πρὸς Θεὸν, ἀσεβεςάτυς εἶναι.

6) *Histor.* L. XXIII. c. 6. p. 296. edit. Gronou. *Leges apud Persas impendio formidatae, inter quas diritate exsuperant latae contra ingratos et desertores.*

7) *De beneficiis* L. III. c. 6.

8) *Variar. lect.* L. XII. c. 3. ap. I. GRVTERVM *Lampad. Crit.* T. II. p. 1085.

9) *In auibus* v. 485. p. 397. edit. Kuster.

10) *De coma Berenices* v. 45. conf. ibi INTERPP. p. m. 138.

11) FR. DE AMAYA *obseruat. iuris* (Geneu. CIↃ IↃC XXXIII. 4.) L. II. c. 6. n. 2. 3. p. 168.

§. III.

LIBERTVM INGRATVM esse scribit PAVLLVS ICTVS,[1]) *qui patrono obsequium non praestat, vel res eius filiorumque tutelam administrare detrectat.* Contigit huic definitioni, quod plerisque veterum ICtorum definitionibus commune esse, deprehenderunt philosophi, vt et parum adaequata sit, et exempla immisceat. Siue enim *obsequii* voce obligationem quamuis, liberto iure naturali pariter ac ciuili imperatam, indicare ICtus voluerit, siue solas operas, quas patrono stipulata manu inter ipsa manumissionis solennia promisit libertus, intel-

Libertus ingratus quis? etc.

lexerit, vacillabit definitio. Quod si illud ponas, tum posterius definitionis comma prorsus erit incongruum, vtpote quod priori continetur; sin hoc defendas, delicta nominabo quam plurima, quae si admiserit libertus, aeque ingratus habebitur, ac ille, qui res patroni administrare filiorumque tutelam in se suscipere detrectauit. Nos itaque mentem legum Romanarum paulo curatius rimati, *libertum ingratum* dici contendimus, *qui obligationem lege pactoue sibimet impositam violat.* Habet autem hanc obligatio ista indolem, vt quaedam facienda imperet, quaedam seuera lege interdicat. [2]) Quae facienda imperantur, ita fere sunt comparata, vt ad duo capita redeant, *officia* nimirum *pietatis* et *operarum praestationes.* Officia pietatis dum nomino, omnem istam complector reuerentiam, ad quam patri exhibendam filius bonae frugis obstringitur. Ad hoc enim arctissimum naturae vinculum Romani compositas esse volebant patronorum libertorumque rationes. [3]) Supersunt clarissima eius rei in scriptis veterum vestigia, quo et illud pertinet, quod a patrono libertus, aeque ac filius, delinquens sine murmure accipere castigationem deuinciatur. [4]) Per *operas* leges Romanae intelligunt ministeria quaeuis diurna, ad nutum patroni sollicite componenda, [5]) atque denuo eas diuidunt in *officiales*, quas quiuis libertus ob ipsam manumissionem praestare debebat, et *artificiales* seu *fabriles*, quae speciali lege seu pacto nitebantur. [6]) Si quis libertus quidquam harum rerum a se frustra expectari pateretur, turpem ingrati notam ipsemet sibi inurebat. Sed in primis ad ingratorum classem pertinent, grauissimisque suppliciis afficiuntur illi, qui vel impias patronis intulere manus, vel contumeliis auctores suae libertatis prosciderunt. Nec immerito. Nam si in liberum quoque hominem, [illegible]

Si

Si mala condiderit in quem quis carmina, ius eſt
Iudiciumque, [7])

quo tandem ſupplicio dignum habebis eum, qui, miſera mancipii conditione vix depoſita, tot ſibi iuris in herum arrogat. Sed fuit haec libertorum Romanorum indoles, vt ingenium ſeruile ad ſcelera et ſubſannationem compoſitum aegre exuerent, et in conuiciis in patronum ſpeciem libertatis quaererent. Id vel vnicus teſtatur PLAVTVS: [8])

Ita pars libertinorum eſt, niſi patrono qui aduerſatus eſt,
Nec ſatis liber ſibi videtur, nec ſatis frugi, nec ſatis honeſtus,
Ni id effecit, ni ei maledixit, ni grato ingratus repertus eſt.

1) In l. 19. D. *de iure patronatus.*

2) FR. de AMAYA *obſeru. iur.* L. II. c. 6. n. 31. p. 174.

3) Multis hoc probarunt ANT. FABER *iuriſpr. Papin.* tit. V. princ. 2, illat. 11. p. 169. FR. CONNANVS *comment. iur. ciu.* L. II. c. 7. 8.

4) Item, ne actione patronum petat, niſi exorata edicti venia, l. 4. §. 1. π. L. 2. C. *de in ius vocand.* Vt patronum egenum ſuſtentet, l. 1. C. *de operis libert.* Vt bona relinquere patrono teneatur, l. 16. pr. l. 20. l. 21. π. *de iure patron.*

5) L. 1. et l. 3. π. *de operis libertorum.*

6) VLPIANVS l. 26. §. 12. π. *de condict. indeb.*

7) HORATIVS *Serm.* L. II. Sat. 1. v. 82. conf. ANTONIVS COMES de SHAFTESBVRY *in the Soliloquy* P. II. Sect. 2. *Characteriſticks* T. I. p. 251.

8) *Perſa* Act. V. Sc. 2. v. 57. conf. EV. OTTO *praef.* T. IV. *theſ. iur.* p. 3.

§. IV.

Caeterum non in omnia libertorum genera cadebant olim poenae ingrati animi. Si qui enim iuſtam libertatem, id eſt, *An quoduis libertorum genus ingratae men-*

tis potuerit postulari? etc. id est, ciuitatem Romanam acceperant, potestate patronorum exempti penitus viuebant, manumissioneque exstinguebatur omnis dominorum de illis notio, quod de quibusuis valere libertis ANT. BORREMANSIVS [1]) existimauit. Certe ii, qui libertate minus iusta donati, et vel ex lege Iulia Norbana Latinorum, vel ex lege Aelia Sentia dedititiorum conditionem fuerant adepti, aliqua seruitutis specie adhuc attinebantur, ita, vt patronorum arbitrio esset relictum, vtrum mancipiis denuo inserere libertum vellent, an iustam libertatem vindicta, censu vel testamento addere. Testem cito TACITVM, [2]) qui *manumittendi duas species institutas* refert *vt relinqueretur poenitentiae aut nouo beneficio locus: quos vindicta patronus non liberauerit, veluti vinculo seruitutis attineri: dispicere quemque posse merita, tardeque concedere, quod datum non adimeretur.* Illustre illius rei exemplum est apud PLINIVM IVNIOREM, [3]) dum Fabatum prosocerum hortatur, *vt nunc eosdem vindicta liberet, quos nuper inter amicos emiserat manu.* Scite igitur et lepide Messenio seruus PLAVTINVS, quem herus Menaechmus inter amicos, praesente fratre germano cognomine, dixerat liberum, gratulanti felicitatem timidus respondet: [4])

Meliori opus est auspicio, liber perpetuo vt siem.

1) *Variar. lect.* c. XIV. p. 174.

2) *Annal.* L. XIII. c. 27. add. SENECA *de vita beata* c. 24. SVETONIVS *in vita Augusti* c. 40. n. 8. Conf. de hac libertatis diuisione in *plenam* et *minus plenam* I. LIPSIVS *ad* TAC. l. c. not. 89. p. m. 224. E. MERILLIVS *obseru.* L. II. c. 9. p. 83. A. GOVEANVS *lect. iurid.* L. II. c. 11. p. 481. PAG. GAVDENTIVS *expos. iurid.* L. I. c. 14. ap. EV. OTTONEM T. III. p. 355. s. G. a LOON *de manumiss. seruorum apud Romanos* L. II. c. 1. p. 100.

3) L. VII. Epist. 16. n. 4. add. P. BVRMANNVS *ad* PETRONII *Satyr* c. 38. p. 164. s.

4) *Menaechm.* Act. V. Sc. VIIII. v. 87.

§. V.

§. V.

Origo poenarum ingratorum libertorum etc.

Tempus, quo primum Romani in libertos ingratos animaduertere coeperunt, nemo facile definiet. Nonnulli, dum hasce poenas ex antiquissima ipsius Romuli lege[1]) repetendas existimarent, libertos cum clientibus commiscuerunt, id quod eo facilius factum, quum obsequia illorum cum horum officiis quam accuratissime conspirent. Ego vero has poenas, vt alia permulta, ex Graecia Romanos petiisse arbitror.[2]) Namque iam apud Athenienses, a quibus, praeter humanitatem, doctrinam, fruges atque religionem, leges etiam ortas et in omnes terras distributas, CICERO praedicat, ea fuit libertorum conditio, vt in perpetua patroni familiaeque eius clientela manerent, atque ad certa definitaque legibus officia obstringerentur. Hinc apte atque concinne CHRYSIPPVS,[3]) τοὺς ἀπελευθέρους eo etiam tempore, quo iam a misera τῶν οἰκετῶν sorte liberati inter κτήματα non numerabantur amplius, δούλους ἔτι εἶναι pronuntiauit. Officiorum rationem et necessitatem exponit PLATO,[4]) quem potiores legum suarum tabulas ex axonibus Atticis descripsisse veri videtur simile: Ἀγέσθω δὲ, inquit, καὶ τὸν ἀπελεύθερον, ἐάν τις μὴ θεραπεύῃ τοὺς ἀπελευθερώσαντας, ἢ μὴ ἱκανῶς. Θεραπεία δὲ, φοιτᾷν τρὶς τοῦ μηνὸς τὸν ἀπελευθερωθέντα πρὸς τὴν τοῦ ἀπελευθερώσαντος ἑστίαν, ἐπαγγελλόμενον ὅ, τι χρὴ δρᾷν τῶν δικαίων καὶ ἅμα δυνατῶν, καὶ περὶ γάμου ποιεῖν, ὅ, τί περ ἂν ξυνδοκῇ τῷ γενομένῳ δεσπότῃ· πλουτεῖν δὲ τοῦ ἀπελευθερώσαντος οὐκ ἐξεῖναι μᾶλλον, τὸ δὲ πλέον γένεσθω τοῦ δεσπότου. Equidem non indicasse philosophum nomen actionis perspicio, qua petere libertum officii sui immemorem patronus Atticus debebat, at sine dubio δίκην ἀποστασίου respexit, cuius ea est ratio, vt patronus libertum ingrati conuincat animi, eaque re efficiat, vt damnatus vel in ἀναγκαῖον coniiciatur, vel exponatur venum, vel reuocetur in seruitutem. Sic enim HARPOCRATION,

TION,[5]) quem plerique GRAMMATICORVM[6]) ducem sequuti sunt: Ἀποστασίου δίκη τίς ἐστιν κατὰ τῶν ἀπελευθερωθέντων, δεδομένη τοῖς ἀπελευθερώσασιν, ἐὰν ἀφιστῶνταί ἀπ᾽ αὐτῶν, ἢ ἕτερον ἐπιγράφωνται προστάτην, καὶ, ἃ κελεύουσιν οἱ νόμοι, μὴ ποιῶσι. Supersunt hodieque in reliquiis DINARCHI, ISAEI et HYPERIDIS apud DIONYSIVM HALIC.[7]) et laudatum modo GRAMMATICVM, pauca actionis ἀποστασίου vestigia, quibus amphorae fractae simillimis illud vetulae vinosioris dicterium adscribere licebit:

O quale in vobis dicam bonum
Antidhac fuisse, tales cum sint reliquiae!

Quodsi has clarissimorum rhetorum orationes iniuria saeculi posteris intactas reliquisset, decidi forsitan sine ambagibus possent bina, quae ingenio PHIL. IAC. MAVSSACI[8])negotium facessiuere, dubia. Nimirum omnem huius dicae ambitum emetiri laborans v. c. primum in eo fluctuat, num et defensio liberti, qua intentionem actoris elidere conatur, eodem veniat δίκης ἀποστασίου nomine? Hic vero causam dubitandi non video, quum sine hac defensione, qua contestatio litis exceptionesque continentur, ἀποστασίου δίκη in iudicio ne tractari quidem posse videatur. Maioris momenti altera est quaestio, an illa etiam actio, quae seruis Atheniensium in heros rudes et vltra modum rigidos concedebatur, ἀποστασίου δίκη dicta fuerit? Affirmantem sententiam tuetur MAVSSACVS, eamque binis veterum auctorum, SVIDAE[9]) nimirum et DIOGENIS LAERTII,[10]) locis corroborat. Ast nec altera opinio caret praesidiis. Sane LAERTII locus difficulter admodum in rem praesentem trahitur; verba autem SVIDAE multo facilius ad libertos ingrati animi perperam postulatos, iustamque ideo et omnibus absolutam numeris libertatem petentes, applicari possunt. Etenim ea legibus Atticis continebatur sanctio, vt, si a patrono iniusta se petitum actione

liber-

libertus demonstrasset, plenam et perpetuam libertatem nancisceretur; quam in rem clara sunt HARPOCRATIONIS,[11]) SVIDAE,[12]) et NONNI [13]) testimonia.

1) Eam legem, quam mutilam attulerat SERVIVS *ad Aeneid.* VI. v. 609. T. II. p. 774 edit. Masvic. ita restituit TH. MARCILIVS *in collect. et interpr. Legum* XII. *Tabb.* c. 71. ap. OTTONEM *thes. iur. Rom.* T. IV. p. 288. s. PATRONVS. SI. CLIENTI. CLIENSVE. PATRONO. FRAVDEM. FAXIT. SACER. ESTO. conf. DIONYSIVS HALIC. *antiq. Rom.* L. II. c. 10. T. I. p. 82. edit. Oxon.

2) Res tam clara, vt non opus sit, locis ambiguis eam vlterius corroborare. Talis est in *Fragmento regularum ex Veteri ICto*, (quod *Senatusconsultum* vocat P. GAVDENTIVS *iurid. expos.* L. I. c. 14. ap. EV. OTTONEM T. III. p. 356.) §. 12. ap. SCHVLTINGIVM *iurispr. anteiust.* p. 806. *Praetor non permittit manumissum seruire, nisi aliter lege peregrina cautum sit.* Ibi enim Graecus interpres, quem P. PITHOEVS consuluerat, τὸ *peregrina* voce Ἑλλήνων illustrat. Studia Criticorum de tollenda hac difficultate v. ap. S. PETITVM *obseruat.* L. II. c. 5. p. 200. s. IAC. GOTHOFREDVM *comment. ad Cod. Theod.* T. I. p. 190. s. edit. Lugd. et A. SCHVLTINGIVM l. c. n. 45.

3) Περὶ ὁμονοίας βιβλ. β. conf. S. PETITVS *ad leges atticas* p. 180.

4) *De legibus* L. X. p. 964. D. E.

5) *In Lexico X. orat.* h. v. p. 57. edit. Vales.

6) SVIDAS *lex.* T. I. p. 294. add. HESYCHIVS *lexic.* p. 130. edit. Schreuel. IVL. POLLVX *onom.* L. VIII. c. 6. Segm. 35. T. I. p. 874. AMMONIVS περὶ ὁμοίων καὶ διαφόρων λέξεων ap. H. STEPHANVM *in append. thes.* L. G. T. IV p. 48 h. v. THOMAS MAGISTER *eclog. attic.* h. v. p. 19. edit. Blancard. PHAVORINVS *dictionar.* p. 110. edit. Venet. Latiorem paulo definitionem concinnauit AVCTOR MAGNI ETYMOLOGICI h. v. p. 124. s. edit. Sylburg. Imperitia scribarum factum est, vt aliquando ἀποστασίου δίκη in nonnullis Grammaticorum, HESYCHII in primis, exemplaribus pro δίκη ἀποστασίου scriberetur. v. IAC. PALMERIVS *ad* HESYCH. n. 14.

7) *Comm. de oratoribus antiquis* Sect. IV. c. 12. Opp. T. II. p. 188. edit. Oxon.

8) *Ad* HARPOCRAT. *Lexicon* p. 58.

9) *Lex.* T. I. p. 294.

10) *De dictis et factis memor. vet. philos.* L. II. Segm. 52. p. 112. edit. Menag.

11) V. ἀποστασίου δίκη p. 57. add. AVCTOR ETYMOLOGICI MAGNI p. 124. v. 53.

12) *Lexic.* h. v. p. 294. Adeo difficilis eſt hic SVIDAE locus, vt de latina eius conuerſione non vna placuerit omnibus opinio. Interpretationem S. PETITI *comment. ad leges Atticas* p. 181. reiecit ANTONIVS MARIA SALVINIVS in *Miſcellaneis obſeruationibus ad auctores veteres et recentiores ab eruditis Britannis edi coeptis et a Batauis continuatis* Vol. V. T. II. p. 176. f.

13) *Ad* GREGOR. NAZIANZ. Στηλιτευτ. I, n. ξ. p. 146. edit. a R. MONTAGV Etonae CIↃ IↃCX. 4. curatae.

§. VI.

Poenae damnatorum tres pro grauitate delicti.

Damnatorum miſerrima erat conditio. Tria potiſſimum poenarum genera pro delictorum atrocitate libertis ingratae mentis et maleficii conuictis conſtituta legimus. Ad infimam claſſem *carceres* et *ergaſtula* pertinent, quae ἀναγκαίων nomine Athenis veniebant. Veſtigium coercitionis apud ISAEVM [1]) reperitur: Ἑρμοκράτην δὲ εἰς τὸ ἀναγκαῖον ἐνέβαλε, φάσκων, ἀπελεύθερον εἶναι, καὶ οὐ πρότερον ἀφῆκε, πρὶν τριάκοντα δραχμὰς ἐπράξατο. Valde diſputant, qui fori graeci rationes rimantur, publicane haec carceris poena, an priuata, fuerit. [2]) Prior quidem ſententia vel ideo veri ſimilis videtur, quia δίκην ἀποστασίου a patrono contra libertum ingratum inſtitui, leges Atticae voluerunt. Quid, quaeſo, actione forenſi fuiſſet opus, ſi ipſi patrono carcere liberti audaciam cohibere licuiſſet? Accedit, varios eſſe XENOPHONTIS [3]) locos, qui ἀναγκαίου voce publicum vrbis carcerem indicatum, clare perhibent. Nec mouet, quod in citato ISAEI loco ipſe patronus libertum incluſiſſe carceri dicatur. Quod quis enim per iudicem praeuia actione facit, ipſe ſua feciſſe manu, cenſendus eſt. Saepius carceris ſqualor mitis nimium videbatur Athenienſibus, atque tum in *ſeruitutem* denuo detrudebant libertum, qui liber eſſe non didicerat. Tam frequens haec poena fuit, vt ab omnibus fere, qui δίκην ἀποστασίου commemorant, eius iniiciatur mentio. [4]) Formulam reuocationis

VALE-

VALERIVS MAXIMVS [5]) enodauit, sed ita comparatam, vt spuria et ornandae orationis causa tantum adiecta esse videatur. Nonnunquam ad *venditionem* liberti deuentum est, cuius rei elegans exemplum DEMOSTHENES, [6])princeps orator Graeciae, suppeditat. Poenam irrogabat iudex, quem ex amicis patroni et tribulibus delectum Archon seu Polemarchus dedisse legitur, prout vel ciuis patronus erat, vel peregrinus, quemadmodum praeter ARISTOTELEM [7]) et POLLVCEM,[8])VETVS ARISTOPHANIS INTERPRES [9]) testatur. Post latam condemnationis sententiam alius quoque magistratus, nimirum τῶν πωλητῶν, intercedebat officium, quos bona damnatorum publicasse, ipsa nominis ratio satis edocet, et praeterea tradit SVIDAS. [10])

1) Apud SVIDAM v. ἀνάκαιον T. I. p. 165.

2) Quae pro defendenda carceris priuati notione in medium protulit PHIL. IAC. MAVSSACVS ad HARPOCRAT. p. 33 f. infirmo nituntur fundamento.

3) *Hellen.* L. V. c. 4. n. 8. T. III. p. 329. et n. 14. p. 332. Boeotos carceres quosuis ἀναγκαῖα appellasse, ex ETYMOLOGICO MAGNO p. 98. v. 30. f. discimus.

4) Pertinent huc omnes ferme loci, quotquot ex HARPOCRATIONE, SVIDA et MAGNI ETYMOLOGICI COMPILATORE a nobis fuerunt excitati.

5) *De dictis et factis memorab.* L. II. c. 6. Ext. 6. p. 171. ed. Torren. *Age quid illud institutum Athenarum tam memorabile? quod conuictus a patrono libertus ingratus iure libertatis exuitur:* SVPERSEDEO TE, *inquit*, HABERE CIVEM, TANTI MVNERIS IMPIVM AESTIMATOREM: NEC ADDVCI POSSVM, VT CREDAM VRBI VTILEM, QVEM DOMVI SCELESTVM CERNO. ABI IGITVR ET ESTO SERVVS, QVONIAM LIBER ESSE NESCIVISTI.

6) *Orat. I. contra Aristogitonem* n. 91. p. 491. edit. Morellian. de matre Aristogitonis: τὴν μητέρα αὐτοῦ ὄφλουσαν ἀποστασίου ἀπέδοσθε.

7) Apud HARPOCRATIONEM *in lexico* p. 57. edit. Valef. Ἀριστοτέλης, inquit, ἐν Ἀθηναίων πολιτείᾳ περὶ τοῦ πολεμάρχου γράφει ταυτί. ἔτο

δὲ εἰσάγει δίκας τάς τε ΤΟΥ ΑΠΟΣΤΑΣΙΟΥ, καὶ ἀπροστασίου, καὶ κλήρων, καὶ ἐπικλήρων τοῖς μετοίκοις. conf. p. 181.

8) *Onomast.* L. VIII. c. 9. n. 4. Segm. 91. T. II. p. 911.

9) *Ad Vespas* v. 1037. p. 315. edit. Kuster. Πολέμαρχος ὄνομα ἀρχῆς. οὐ τοῖς πολίταις τοῦτο προσῆψεν, ἀλλὰ τοῖς ξένοις. αἱ γὰρ ξενικαὶ δίκαι ἐπὶ τοῦ πολεμάρχου εἰσήγοντο. οἱ δὲ καὶ βοηθείας δεόμενοι, ἐπὶ τὴν ἀρχὴν κατέφευγον τοῦ πολεμάρχου. ἀλλὰ καὶ οἱ κατηγοροῦντες γονέων κακώσεως πρὸς τὸν πολέμαρχον ἐδικάζοντο κἀκεῖνος ἔκρινεν. ἄλλως. πολέμαρχος ἄρχων, πρὸς ὃν κατηγγυῶντο τοὺς ξένους. ἄλλως. ἀρχή τις ἐστὶ παρ' Ἀθηναίοις οὕτως καλουμένη. ἐστὶ δὲ οὗτος εἷς τῶν θ ἀρχόντων. διοικεῖ δὲ οὗτος ἄλλα, τε καὶ εἰσάγει δίκας, τάς τε ΤΟΥ ΑΠΟΣΤΑΣΙΟΥ καὶ κλήρων τοῖς μετοίκοις καί τἄλλα, ΟΣΑ ΤΟΙΣ ΠΟΛΙΤΑΙΣ Ὁ ΑΡΧΩΝ ΕΣΤΙ, ΤΑΥΤΑ ΤΟΙΣ ΜΕΤΟΙΚΟΙΣ Ὁ ΠΟΛΕΜΑΡΧΟΣ ΚΑΙ ἘΠΙΚΛΗΡΩΝ.

10) v. Πωλῆται T. III. p. 163. edit. Cantabrig. Οὗτοι τῶν ὀφειλόντων τῷ δημοσίῳ κατὰ προθεσμίαν καὶ μὴ ἀποδιδόντων ἐπίπρασκον τὰς οὐσίας· ἐπέκειντο δὲ τοῖς πωλήταις καὶ ὅσοι τὸ διαγραφὲν ἀργύριον ἐν πολέμῳ μὴ εἰσέφερον, ἔτι καὶ οἱ ξενίας ἁλόντες, καὶ ὁ μέτοικος προστάτην οὐκ ἔχων, καὶ Ὁ ΑΠΟΣΤΑΣΙΟΥ ΓΡΑΦΕΙΣ. τούτων γὰρ τὰς οὐσίας τελοῦντες παρακατέβαλον εἰς τὸ δημόσιον.

§. VII.

Discrimen ἀπελευθέρων *et* μετοίκων, *item* προστάτου *et* ἐπιτρόπου.

Tam seueri sacerdotes iustitiae, tam rigidi in libertos impios fuerunt veteres Athenarum legislatores, vt nullum hac lege ius sanctius habuisse videantur. Ita vero aeternum stabilire volebant patronos inter et libertos vinculum, tutelam ab illis, ab his reuerentiam exigentes. Eleganter sibi illudit IS. CASAVBONVS,[1]) qui liberto Attico hanc opinatur fuisse potestatem, vt solemni manumissionis die ex omni ciuium albo et amicis potissimum manumissoris vnum optaret, patronus qui esset, et omnia patroni obiret officia. Aut totus fallor, aut res plane diuersas a viro clarissimo bis confundi ac commisceri deprehendo. Inquilinis quidem haec im-

posita

posita erat necessitas, vt, quando recipiebantur, vnum sibi e ciuibus eligerent, quem patroni loco venerarentur. Quod si in hac optione paulo fuissent negligentiores, nihil publicae priuataeque rei gerere poterant in ciuitate, atque insuper actione *ἀπροςασίȣ*, a *δίκη ἀποςασίȣ* caute discernenda, petebantur. [2]) Quis vero tali patrono libertis opus fuisse crederet, quibus ipsa manumissio *προςάτην* demonstrabat? Quem ergo ex amicis liberatoris deligebant, *ἐπίτροπος* seu, vt TERENTII voce vtar, *deprecator* erat, quem a *προςάτη* non secernunt, quotquot confutatae a nobis sententiae patrocinantur. [3]) Atque hoc ipse locus ARISTOTELIS,[4]) quo illi causam ornare suam conantur, euincit: *ὥσπερ ἂν τῶν κηρύκων προλαμβάνȣσι τά παιδία, τό τινα αἱρεῖται ἐπίτροπον ὁ ἀπελευθερȣμενος Κλέωνα.*

1) *In notis ad* SVETONII *Caes.* c. 2. p. 6.

2) Conferri merentur omnes ferme, quos supra excitauimus, Grammatici. Sed elegans in primis est AMMONII locus: Ἀποςάσιος ἀπροςασίȣ διαφέρει. Ἀποςασίȣ μὲν δίκην ἔλεγον, ὁπότε ἀπελεύθερος κρίνοιτο, ὡς ἀποςὰς τȣ̃ δεσπότȣ· ἀπροςασίȣ δὲ μέτοικος ἐγκαλεῖτο, ὡς μὴ ἔχων προςάτην. Quae circa testimonii dictionem fuerit vtriusque actionis diuersitas, HARPOCRATION iu *lexico* v. *διαμαρτυρία* p. 125. f. indicauit.

3) Conf. S. PETITVS *comment. ad leges Attic.* p. 180. f. Eadem ferme ratione liberti apud Romanos *deprecatores* suos habebant. CICERO *ad Attic.* L. I. ep. 12. *Libertum ego habeo sane nequam hominem, Hilarum dico ratiocinatorem et* CLIENTEM *tuum.* conf. TERENTIVS *Phorm.* Act. I. Sc. 2. v. 90. f. CHR. CELLARIVS *in notis ad* P. CVNAEI *Sardos venales* c. 38. p. 556.

4) *Rhetoric.* L. III. c. 8. T. II. p. 129. edit. Sylburg.

§. VIII.

Quando in vrbe Roma poenae ingratorum coeperint? etc.

Quamuis autem ex institutis Graiorum repetenda libertorum ingratorum supplicia, satis abundeque demonstrauerim, obscurum tamen etiamnum manet, qua aetate hanc sanctio-

ſanctionem ciuitate donauerint, ſuamque fecerint Romani. [1]) Iam temporibus rei publicae mos ille ingratos in ſeruitutem retrahendi obtinuit, atque tum tanta fuit patronorum poteſtas, vt ſine ciuili actione datam reuocare libertatem, et absque iudicis officio libertum in priſtinam detrudere ſeruitutem poſſent. Spectat huc colloquium Simonis ac Soſiae apud TERENTIVM: [2])

SIMO. *Ego poſtquam te emi a paruulo, vt ſemper tibi*
Apud me iuſta ac clemens fuerit ſeruitus,
Scis: Feci a ſeruo vt eſſes libertus mihi,
Propterea, quod ſeruiebas liberaliter.

SOSIA. *In memoria habeo.* SI. *Non muto factum.* SO. *Gaudeo.*
Si quid tibi feci aut facio, quod placeat, Simo, et
Id gratum fuiſſe aduorſum te, habeo gratiam.
Sed mihi hoc moleſtum eſt: Namque iſthaec commemoratio
Quaſi exprobratio eſt immemoris beneficii.

Sunt et alii veterum auctorum loci, a GV. LOONO [3]) excitati, quos, quum ambiguitate non careant, malumus omittere.

1) Late hanc controuerſiam tractat FR. de AMAYA *obſeru. iur.* L. II. c 6. n. 13. p. 170. neque tamen cum eo, quod in tali cauſa requirebatur, diſcrimine.

2) *Andriae* Act. I. Sc. I. v. 8. ſ. Praeclare MARC. DONATVS verba: *in memoria habeo* explicat: *non ſum ingratus.* T. I. p. 13. edit. Weſterhou.

3) *De manumiſſ. ſeruorum apud Rom.* L. II. c. 5. §. 1. p. 108. cuius partes etiam P. BVRMANNVS *ad* PETRONII *Satyr.* c. 38. p. 165. ſequitur.

§. IX.

Cura Auguſti in poenis libertorum temperandis etc.

Quum vero poteſtate ſua patroni abuterentur, et cum libertis inclementius agerent, limites ſaeuitiae Octauius Auguſtus poſuit, atque tam in manumittendo cautionem, quam in manumiſſum lenitatem, adhiberi voluit. Diſputarunt eruditi

eruditi, qua tandem lege isthaec definita fuerint; et erat omnino praegnans dubitandi ratio, quum legem Aeliam Sentiam, cuius caput quintum de libertis ingratis causa demum cognita puniendis disposuit, temporibus rei publicae latam nonnulli crederent. [1]) Sed dispulit tenebras Ill. HEINECCIVS, [2]) vbi legem hanc sub Augusti imperio Sex. Aelio Cato et C. Sentio Saturnino Coss. A. V. C. DCCLVI promulgatam, magno doctrinae apparatu demonstrauit. Cognitio tum ad praefectum vrbis pertinuit, cuius iurisdictioni huius generis controuersiae vsque ad centesimum ab vrbe lapidem omnes suberant. [3]) Sic *praefectum vrbis adiri solere*, testatur VLPIANVS, [4]) *si patronus contemni se a liberto dicat, vel eum sibi contumeliosum queratur, vel conuicium se ab eo passum, liberosque suos, vel vxorem, vel quid huic simile obiiciat.* Sic, *si sine venia edicti impetrata patronum in ius vocauerit libertus, ex querela patroni vel L. aureos soluere teneri, vel a praefecto vrbis quasi inofficiosum castigari*, MODESTINVS [5]) auctor est. Effecit tamen aliquando fauor libertatis, vt, liberto ante latam sententiam poenitente, praetor stricti iuris actionem temperaret, et de imperfecto delicto per poenitentiam purgato mitius statueret. [6]) In alia omnia abit DOSITHEVS MAGISTER, [7]) qui talem cognitionem ab Hadriano Imp. praefecto aerarii ex lege Aelia Sentia demandatam refert. IAC. CVIACIVS [8]) id quidem ideo factum suspicatur, quod apud aerarii praefectum calumniatus fuisset patronum libertus improbus. Quum autem fundamento penitus careat isthaec diuinatio, ego, vbi et aetatem scriptoris, [9]) et facilem errandi occasionem reputo, aut a veritate desciuisse DOSITHEVM, aut de re prorsus alia loquutum esse, arbitror. Poenam libertis ingratis certam lex Aelia Sentia non constituit, sed arbitrio iudicis omnia reliquit. Fauet sententiae, quam et A. SCHVLTINGIVS [10])

adopta-

adoptauit, VLPIANI ICTI locus: [11]) *Quum patronus contemni se a liberto dixerit, praefectus vrbis adiri solet, et pro modo querelae corrigere eum, aut comminari, aut fustibus castigare, aut vlterius procedere in poena eius solet. Nam et puniendi plerumque sunt liberti. Certe si se delatum a liberto, vel conspirasse eum contra se cum inimicis, doceat: etiam metalli poena in eum statui debet.* Quod si DOSITHEI verba addas, patebit, talem fuisse poenarum ingratis libertis irrogatarum modum, vt vltra lautumias et metalla progredi non liceret. Neque enim ex DOSITHEO quisquam probare poterit, solam λιθοτομίας poenam in quaecunque ἀχαριςίας a libertis commissae genera constitutam. [12]) Num lex Aelia Sentia antiquam illam concessae libertatis reuocationem permiserit, diu multumque disputarunt Romani iuris interpretes. Olim quidem omnes affirmarunt, nixi quippe VLPIANI verbis *in L. IV. ad legem Aeliam Sentiam:* [13]) *Quotiens autem patroni libertum volunt accusare, vtrum omnium consensus necessarius sit, an vero et vnus possit, videamus? Et est verius, si saltem in vnum hoc commiserit, eum vt ingratum accusari, sed omnium consensum necessarium, vt in seruitutem redigatur, si sint eiusdem gradus.* Ast fundamenta probationis subruit CVIACIVS, [14]) vbi verba: *vt in seruitutem redigatur*, quae nec in Codice Florentino, nec in Basilicis [15]) reperiuntur, ad glossemata amandauit. Operam quidem dedit HENR. SVERINIVS, [16]) discipulus CVIACII, vt voces, quas praeceptor deleuerat, ICto vindicaret, sed inanem, ceu dudum EV. OTTO [17]) demonstrauit.

1) Ita errarunt ALCIATVS ad l. 70. π. de V.S. Opp. T. II. p. 1122. et MYNSINGERVS *comment. ad Inst.* L. I. tit 6. p. 30. Error inde natus, quod legis Aeliae Sentiae mentionem CICERO *Topic.* c. 2. iniicit. Id vero scribae incuria factum, TVLLIVMque de iure Aeliano loquutum, probauit H. NORISIVS *Cenotaph. Pisan.* Diss. III. c. 9. p. 422. sq.

2) *An-*

2) *Antiqu. Rom. ad Instit.* L. I. *tit.* 4. §. 11. T. I. p. 105. et *tit.* 6. p. 110. f. Add. ST. VIN. PIGHIVS *annal. Rom.* L. XVIII. T. III. p. 533.

3) Conf. FELIX CONTELORIVS *de praefecto vrbis* c. IV. n. 38. p. 15. PHIL. BERTERIVS πιθανῶν L. I. c. 3. *Thes. iur.* T. IV. p. 811. f.

4) In libro peculiari *de praefecto vrbis*, cuius fragmentum seruauit l. 1. §. 2. et 10. π. *de offic. praef. vrbis.*

5) L. I. *de poenis* in l. 25. π. *de in ius vocando*, quam illustrat IAC. LECTIVS *in Comment. ad* MODESTINVM ap. EV. OTTONEM T. I. p. 126. f.

6) L. IV. *ad Edictum* in l. 11. π. eod.

7) L. III. c. 3. apud SCHVLTINGIVM *iurispr. Anteiust.* p. 862. Δι' ἐπιςολιδίυ αἰτῦντός τινος, ἵνα τὸν ἴδιον ἀπελεύθερον ἀπολέσῃ, ὃν πρὸ χρόνυ κελεύσει ΕΠΑΡΧΟΥ ΓΑΖΟΦΥΛΑΚΙΟΥ κατὰ νόμον Αἴλιον Σεντίον εἰς λιθοτομίας βέβληκε, καὶ νῦν τὴν ἐπίδοσιν αὐτῦ ᾐτεῖτο, Αδριανὸς εἶπεν· τί ζητεῖς ἄνθρωπον ἀπολέσαι, καὶ τὴν ἐπίδοσιν ἀφαιρεῖσθαι, ἀφ' ὗ ἤδη ἐξεδικήθης· ἀναιδὴς εἶ.

8) *Obseruat.* L. XXI. c. 6. Opp. a CAR. HANNIB. FABROTTO editorum T. III. p. 657. E.

9) De qua v. TH. REINESIVS *in defens. variar. lection. suar.* p. 90. IO. ALB. FABRICIVS *biblioth. graecae* L. V. c. 7. T. VII. p. 59. 60. ANT. SCHVLTINGIVS *in praefat. iurispr. anteiust.*

10) Loco citato p. 862.

11) L. I. §. 10. π. *de officio praef. vrb.*

12) Id vero statuere videntur CVIACIVS l. c. p. 657. D. MAVSSACVS *ad* HARPOCRAT. p. 59. et HEINECCIVS l. c. §. 10. p. 114.

13) l. 30. §. penult. π. *qui et a quibus manumissi liberi non fiunt.*

14) Loco cit. p. 657. C.

15) Ita enim THALELAEVS hanc legem reddidit in BASILICIS. L. XLVIII. tit. 7. T. VI. p. 445. edit. Fabrott. ὃν ἐπὶ τῷ ἐλευθερῶσαι ἠγόρατα, εἰ ἀναρπαγῇ εἰς ἐλευθερίαν, ὐδὲ, ὡς ἀχαρίςυ, κατηγορῶ. εἰ κελεύσει μῦ ὁ υἱὸς μῦ δῦλον ἐλευθερώσει, δύναμαι ὡς ἀχαρίςυ κατηγορεῖν. εἰ δὲ τῦ ἰδιοκτήτυ ἐςὶ πεκυλίυ ὁ δῦλος, αὐτὸς κατηγορήσει, ὐκ ἐγώ. κατηγορεῖ δέ τις, ἐφ' ὅσον ἐςὶ πάτρων. εἰ δὲ πολλῶν ἐςὶν ἀπελεύθερος, καὶ εἰς ἕνα ἁμάρτει, τὺς τῦ αὐτῦ βαθμῦ δεῖ συναινεῖν αὐτῷ κατηγορῦντι. Add. SCHOLIA *ad h. l.* not. π. p. 456.

16) *Repetit. lect. iur.* c. 3. ap. EV. OTTONEM T. IV. p. 7. f.

17) *In praefat.* T. IV. *thes. iur. Rom.* p. 3.

§. X.

Rigor Claudii in libertis ingratis puniendis etc.

Secundum Atticas leges pronuntiauit Claudius, dum, auctore TRANQVILLO,[1]) *libertos ingratos, et de quibus patroni quererentur, reuocauit in seruitutem, aduocatisque eorum negauit, se aduersus ipsorum libertos ius esse dicturum.* Nondum expiscari potuerunt interpretes, vtrum poenam hanc SCto,[2]) edictoue proposito, introduxerit Imp. an in iudiciis nonnunquam, causa cognita, extra ordinem irrogarit? Prior sententia PHIL. IAC. MAVSSACO,[3]) VLR. HVBERO[4]) et IS. CASAVBONO[5]) placuit; altera autem IVSTO LIPSIO,[6]) FR. de AMAYA,[7]) et IAC. RAEVARDO,[8]) sese probauit. Illud dubio carere videtur, non quaeuis animi ingrati probra tam seuere a Claudio castigata, poenamque hanc ad vnicum delatorum patrono fraudulenter submissorum crimen, vel pauca alia, pertinuisse, quam sententiam, loco MARCIANI ICTI[9]) egregie fultam, FR. DE AMAYA,[10]) RAEVARDVS,[11]) MAVSSACVS,[12]) SAM. PETITVS,[13]) IOS. NERIVS,[14]) IS. CASAVBONVS,[15]) et PET. ALMEIDA[16]) adoptarunt.

1) *In vita Claudii* c. 25. n. 4. Exemplum affert DIO CASSIVS *histor. Rom.* LX. p. 683. E. Οὐ μὴν ἀλλὰ ταῦτα μὲν καὶ πάνυ τοῦ Κλαυδίου ἐπῄνεν, καὶ νὴ Δία καὶ ἐκεῖνο, ὅτι ἐντυχόντος τινὸς τοῖς δημάρχοις κατὰ τοῦ ἐξελευθερώσαντος αὐτὸν, καὶ ὑπηρέτην ἐπ᾽ αὐτὸν αἰτήσαντος καὶ λαβόντος ἠγανάκτησε· καὶ ἐκεῖνόν τε καὶ τοὺς συνεξετασθέντας ἐκόλασε· καὶ προσέτι ἀπηγόρευσε, μηδὲ τοῖς οὕτω κατὰ τῶν δεσποτευσάντων αὐτῶν βοηθεῖν, εἰ δὲ μὴ στέρεσθαι τοῦ δίκην αὐτοὺς ἑτέροις λαγχάνειν. Sed mox p. 684. E. addit: τοὺς μέντοι ἀλλοτρίους ἀπελευθέρους ὁ Κλαύδιος, εἴ πῃ κακουργοῦντας λάβοι, δεινῶς τιμωρῶν, τοῖς ἰδίοις οὕτω προσέκειτο, ὥστε κ. τ. λ.

2) Ita videtur IO. SAVARONI *ad* SIDON. APOLLIN. L. IX. Ep. 10. p. 590.

3) *In notis ad* HARPOCRAT. p. 58.

4) *Praelect. ad Pandect.* L. XXXIIX. tit. 14. §. 2. T. II. p. 474.

5) *Ad* SVETONII *loc. cit.* p. 468. edit. Graeu.
6) *Ad* TACITI *Annal.* XIII. c. 26. not. 82. p. 223.
7) *Obseru. iur.* L. II. c. 6. n. 14. p. 170.
8) *Coniectan.* L. I. c. 11. Opp. T. II. p. 23.
9) In l. 5. pr. ff. *de iure patronatus. D. Claudius libertum, qui probatus fuerat, patrono delatores submisisse, qui de statu eius facerent ei quaestionem, seruum patroni esse iussit eum libertum.*
10) Loco alleg.
11) Loco cit.
12) *Comment. ad Leges Attic.* p. 183.
13) *Analect.* L. II. c. 16. ap. EV. OTTONEM T. II. p. 422.
14) *Iurid. expos.* L. I. c. 10. IBID. T. III. p. 352.
15) *Ad* SVETONIVM T. I. p. 770. edit. P. BVRMANNI, qui et ipse in explicando hoc loco multus est.
16) *Ad* SVETONII l. c. p. 610. edit. suae.

§. XI.

Extremis Claudii temporibus rigor ille mirum in modum remisit, adeoque fraena laxata sunt libertorum improbitati, vt miserrima inde emergeret patronorum conditio. Hi itaque instant apud principem, apud senatum, vt non tam auctoritati ipsorum, quam saluti per proteruiam libertorum admodum afflictae, prospicerent. Rem narrat TACITVS:[1]) *Per idem tempus*, scribit, *actum in senatu de fraudibus libertorum, efflagitatumque, vt aduersus male meritos reuocandae libertatis ius patronis daretur. Nec deerant, qui censerent. Sed consules relationem incipere non ausi ignaro principe, perscripsere tamen consensum Senatus. Ille auctor constitutionis fieret, vt inter paucos et sententiae aduersos: quibusdam coalitam libertate irreuerentiam eo prorupisse frementibus, vi an aequo cum patronis iure agerent, sententiam eorum consultarent, an verberibus manus vltro intenderent, impellerentve, poenam suam dissuadentes. Quid enim aliud* *Quid sub Nerone actum? etc.*

laeso patrono concessum, quam vt vicesimum vltra lapidem in oram Campaniae libertum releget? Caeteras actiones promiscuas et pares esse. Tribuendum aliquod telum, quod sperni nequeat. Nec graue manumissis, per idem obsequium retinendi libertatem, per quod assecuti sint. At criminum manifestos merito ad seruitutem retrahi, vt metu coerceantur, quos beneficia non mutauissent. Differebatur contra, paucorum culpam ipsis exitiosam esse non debere; nihil vniuersorum iuri derogandum, quippe late fusum id corpus. Hinc plerumque tribus, decurias, ministeria magistratibus et sacerdotibus, cohortes etiam in vrbe conscriptas, et plurimis equitum, plerisque senatoribus, non aliunde originem trahi. Si separentur libertini, manifestam fore penuriam ingenuorum. Non frustra maiores, cum dignitatem ordinum diuiderent, libertatem in communi posuisse. Quin et manumittendi duas species institutas, vt relinqueretur poenitentiae, aut nouo beneficio locus. Quos vindicta patronus non liberauerit, velut vinculo seruitutis attineri. Dispiceret quisque merita, tardeque concederet, quod datum non adimeretur. Haec sententia valuit, scripsitque Caesar senatui, priuatim expenderent causam libertorum, quotiens a patronis arguerentur: in commune nil derogent. Difficilis in primis visus est locus, vbi *nihil aliud laeso patrono relictum* dicitur, *quam vt vltra vicesimum lapidem in Campaniam libertum releget.* Ignorarunt enim magistri artis criticae rationem, cur vltra vicesimum lapidem? cur in Campaniam proscripti fuerint liberti ingratae mentis postulati? Adsequi diuinatione causam aliquam conati sunt nonnulli, an certam, veram, congruam, viderint alii. IVSTVS LIPSIVS[2]) nihil se reperire fatetur, nisi hoc vnum, datam fuisse operam, vt intra iurisdictionem praefecti vrbis manerent relegati. SAM. PETITVS[3]) vnius saltim diei itinere libertum impium

impium a conſpectu patroni ſemotum voluiſſe Romanos, inde coniicit, quod, GAIO[4]) et VLPIANO[5]) teſtibus, praetor itineri faciundo in ſingulos dies 20000. paſſus numeret. Alii ipſam lectionem ſollicitarunt, et *vltra centeſimum lapidem*[6]) ſcripſere, quae emendatio et ex ſitu Campaniae, et ex ambitu iurisdictionis praefecto vrbis conceſſae, robur accipere videbatur. Mea parum intereſt, qui codices veram ſeruauerint lectionem, quum vtrinque commodus ſit TACITI ſenſus. Siue vltra viceſimum lapidem migrandum fuerit libertis ingratis, ſiue vltra centeſimum, via tamen in foecundiſſimas Italiae regiones et in ipſam Campaniam ſemper patuit, quam non in Italia modo, ſed in toto, qua patet, orbe terrarum plagam feliciſſimam laudat PLINIVS. Talem itaque poenam cum ſuauiſſimo ſeceſſu coniunctam leuem nimis propoſitoque fini imparem conqueruntur patroni. [7]) Ita non opus erit, cum SAM. PETITO[8]) Romanos in artibus regnandi parum verſatos dicere, atque illis obiicere, quod in vnam regionem tantam nebulonum legionem data conglobarint opera. Certe eum commorandi locum nec adſignarunt Romani iudices, nec, quod IAC. GOTHOFREDVS[9]) opinatur, patroni ad opus ibi faciendum praeſcripſere, ſed ipſi potius liberti, ſuauitate prouinciae capti, ſelegerunt. [10])

1) *Annal.* L. XIII. c 26. 27.
2) *In notis* ad h. l. n. 85. p. 223.
3) *Commentar. ad Leges Atticas* p. 182. ſ.
4) L. 1. π. *ſi quis cautionibus etc.*
5) L. 3. π. de V. S.
6) CAMILLVS PEREGRINVS *de Campania felice* Diſſ. I. in *Theſauro Italiae* T. VIIII. P. II. p. 33. E. IO. FRID. GRONOVIVS *ad* TACITI l. c. T. I. p. 855.
7) IO. FR. GRONOVIVS l. c.
8) Loco paulo ante excitato.

9) *Ad*

9) *Ad* l. 1. C. Th. *de haeredit. petit.* T. I. p. 191.

10) Conf. IO. DAV. RITTERVS *ad Codicem Theod.* l. c. T. I. p. 217. not. a.

§. XII.

Noxia Domitiani clementia. etc.

Ex quo autem mitior in Senatu ſententia vicit, iura patronorum euerſa ſunt penitus et peſſundata. Etenim quamuis maneret ſemper haec manumiſſoribus poteſtas, vt exigere obſequia a libertis poſſent, poenae tamen prae immani libertorum potentia non erat locus. Domitiani in primis clementia effectum eſt, vt homines vix liberi omnia in patronos licere ſibimet putarent, imo ipſam rem publicam inuaderent. [1]) Laudabilem igitur curam Traianus adhibuit, vt libertos ad obſequium patronorum reduceret, et contumaces poenis in officio contineret. Praeconium legis MARTIALIS [2]) concinnauit:

DI tibi dent, quicquid, princeps Traiane, mereris,
Et rata perpetuo, quae tribuere, velint.
Qui ſua reſtituis ſpoliato iura patrono:
Libertis exul non erit ille ſuis.
Dignus es, vt poſſis totum ſeruare clientem,
Vt liceat tantum vera probare, potes.

Imo peculiari nonnunquam reſcripto *ius patronorum* optimus imperator dediſſe legitur. Tale diploma propinquis medici ſui exorat C. PLINIVS SECVNDVS, dum: [3]) *Proxima*, ſcribit, *infirmitas mea, Domine, obligauit me Poſtumio Marino, medico: cui parem gratiam referre beneficio tuo poſſum, ſi precibus meis, ex conſuetudine bonitatis tuae, indulſeris. Rogo ergo, vt propinquis eius des ciuitatem, Chryſippo Mithridatis, vxorique Chryſippi Stratonicae Epigoni, item liberis eiusdem Chryſippi, Epigono et Mithridati, ita vt ſint in patris poteſtate, vtque iis in libertos ſeruetur ius patro-*

patronorum. Non dubito fore plerosque, quibus mirum videatur, quod rescripto principis in tali opus fuerit negotio. Mihi quidem isthaec paulo altius repetenti duplex sese causa obtulit, altera, quod neque in potestate peregrini ciuis, neque in ciuis potestate esse peregrinus poterat;[4]) altera, quod commodum in primis patrono videbatur, libertum habere Latinum, mera ipsius gratia liberum, qualem peregrini non habebant, quippe ad quos lex Iunia Norbana non pertinuit.[5]) Eo igitur redire preces PLINII videntur, vt Imperator libertos a Postumio Marino, adhuc peregrino, manumissos Latinos fieri, eodemque ciui, quo peregrino attinebantur, nexu in posterum tempus teneri iubeat.

1) Egregium SVETONII locum v. apud MATTH. RADERVM *comment. ad* MARTIALEM p. 704. add. PLINIVS in *panegyr.* c. 88. n. 1. 2.

2) L. X. epigr. 34. conf. IAC. CVIACIVS *obseru* L. X. c. 33. *Opp* T. III. p. 311. f.

3) *Epist.* L. X. ep. 6. n. 1. 2. conf. EZ. SPANHEMII *orbis Rom.* Exerc. I. §. 5. p. 28. edit. Heineccian.

4) VLPIANVS *fragm.* tit. X. §. 3.

5) *Fragmentum regularum veteris ICti* §. 12. ap. A. SCHVLTINGIVM *iurispr. antei.* p. 806.

§. XIII.

Hadrianus, vt erat in primis mitis et clemens, *seruorum ac libertorum ergastula tulit.*[1]) Sed rigidus prae aliis libertorum ingratorum iudex fuit Commodus, cuius talis constitutio in libro singulari *de manumissionibus* a MODESTINO ICTO profertur:[2]) *Cum probatum sit, contumeliis patronos a libertis esse violatos, vel illata manu atroci esse pulsatos, aut etiam paupertate vel corporis valetudine laborantes relictos: primum eos in potestatem patronorum redigi, et ministerium dominis praebere cogi: sin autem nec hoc modo admoneantur, vel a Praeside emptori addicentur, et pretium patronis tribuetur.* Non satis perspicuum est, vtrum liberti

Clementia Hadriani. Rigor Commodi in libertos ingratos etc.

berti ingrati in feruitutem retracti, an ad praestanda folum obfequia vi adacti fuerint? Posterius IAC. CVIACIO,[3]) PH. IAC. MAVSSACO,[4]) et FR. CONNANO[5]) placuit, quippe qui ne in venditione quidem libertina conditione reos excidisse, fed tanquam libertos emptori addictos arbitrantur. Ego vero hanc opinionem quamplurimis premi difficultatibus existimo. Certe libertati nihil aduerfum magis et contrarium, quam initus de capite emtionis venditionisque contractus. Nec est, cur vox *ministerii* offendat, qua operas feruiles non raro leges Romanae indicant. [6])

1) SPARTIANVS *in eius vita* c. XVIII. fin. Locum de libertis ingratis accipiendum, cenfet IS. CASAVBONVS *in notis* T. I. p. 172. edit. Hackian. Accedit etiam FRA. de AMAYA *obferuat. iuris* L. II. c. 6. n. 16. p. 171.

2) In l. 6. §. 1. ff. *de agnofc. et alend. liberis, vel parent. vel patr. vel libertis.*

3) *Obferu.* L. X. c. 33. Malae fidei CVIACIVM postulat IO. GER. SCHLITTIVS in diff. *de eo, quod iuftum eft circa ingratitudinem* c. 2. §. 3. p. 18. 19. quia verba legis: *primum eos in poteftatem patronorum redigi*, opinioni fuae aduerfa, prorfus omiferat.

4) *In notis ad* HARPOCRAT. p. 58. edit. Blancard.

5) ~~*Comment. iur. Ciuil.* L. II. c. 7. n. 4. p. 131.~~

6) MARCELLVS l. 69. §. 1. ff. *de legatis* 3. VLPIANVS L. 12. §. 31. ff. *de instructo vel instrum. legato.* PAVLLVS L. 22. ff. *de manumiffis vindicta.* AFRICANVS l. 40. ff. de A. R. D. SCAEVOLA l. 41. §. 15. ff. *de fideicomm. libert.* GORDIANVS *Imp.* l. 6. C. *de obfequ. patr. praeft.*

§. XIV.

Constitutiones Septimii et Alexandri Seuerorum. etc.

Eandem poenarum rationem reliqui etiam Impp. retinuerunt, et tantum circa ingrati animi aestimationem nonnulla addiderunt, vt tolerabilior euaderet, nunc afflicta fatis, libertorum conditio. Ita Septimius Seuerus et filius Antoninus folum obfequii non praestiti velamentum tanti ponde-

ponderis esse nolunt, vt ideo data semel libertas rescindatur. [1]) Iidem ab eo, qui manumissionis dandae gratia traditus ab alio vel per testamentum, vel alia ratione fuerat, nec exigi operas, nec reuocari libertatem concesserunt: [2]) quo priuilegio frui et illum, sanxit Alexander Seuerus, qui suis coemtus numis a manumissore fuerat, quamuis manumissori, vt patrono, reuerentiam praestare teneatur. [3]) Sed fauori patronorum etiam aliqua ex parte prospectum est. Huc binae Septimii Seueri sanctiones pertinent, quarum altera per procuratorem accusare libertum ingratum permisit, [4]) altera liberis perduellium salua patronatus iura stabiliuit. [5]) Diocletianus et Maximinus cauerunt, ne filiis patronorum libertos ad seruiendi necessitatem redigere liceret, nisi ex capite ingrati. [6])

1) L. 30. C. *de liberali causa,* quam male Valeriano et Gallieno Augg. tribuit RAEVARDVS *coniect.* L. I. c. 11. Opp. T. II. p. 23. *Solo obsequii non praestiti velamento, data libertas rescindi non potest.* add. quae ad illustrandam hanc legem contulit FR. de AMAYA *obs. iur.* L. II. c. 6. n. 34. p. 174.

2) L. 2. C. *de operis libert. Manumissionis causa traditus neque in seruitutem reduci a manumissore potest, neque impositas operas praestare cogatur.*

3) L. 7. C. eod. *Si tuis numis emptus es ab eo, a quo manumissus es: nec operas ei debes, nec puniri ab eo, vt ingratus, potes: patronum tamen tuum esse eum, negari non oportet.*

4) MARCIANVS L. II. *de publicis iudic.* in L. 4. π. *de obsequ. parent. et patron. praestand. Per procuratorem libertum ingratum posse argui, Diuus Seuerus et Antoninus rescripserunt.* add. VLPIANVS, qui sub Septimio Seuero floruit, in l. 35. §. 1. π. *de procurat. et defens.* IVL. PAVLLVS *rec. sent.* V. tit. 16. §. 11.

5) MARCIANVS L. V. *institut.* in l. 4. π. *de iure patronatus: Iura libertorum patronorum liberis, cum pater eorum erat perduellionis damnatus, salua esse, Diui Seuerus et Antoninus benignissime rescripserunt: sicut ex alia causa punitorum liberis iura libertorum salua sunt.*

6) L. 12. C. *de operis libertor.* add. L. 2. C. Th. *de libertis et eorum liberis.*

§. XV.

Constantini M. constitutiones binae. Qua re differant? etc.

Constantinum M. Imp. primum post Claudii aetatem pleniora dedisse contra libertos ingratos patronis iura, vulgo statuunt. [1]) Huius binae sunt constitutiones ad Maximum vrbis praefectum missae. Prima a. CCCXIX. scripta, [2]) quacum et alia ad concilium Byzacinorum [3]) ferme conuenit: *Si manumissus ingratus circa patronum suum extiterit, et quadam iactantia vel contumacia ceruicem aduersus eum erexerit, aut leuis offensae* *) *contraxerit culpam: a patrono rursus sub imperium ditionemque mittatur, si in iudicio vel apud pedaneos iudices patroni querela exorta ingratum eum ostendat: filiis etiam, qui postea nati fuerint, seruituris: quoniam illis delicta parentum non nocent, quos tunc esse ortos constiterit, dum libertate illi potirentur. Sane, si is, qui in nostro consilio vindicta liberatus est, post coercitionem (ex) poenitentia dignum se praestiterit, vt ei ciuitas Romana reddatur, non prius fruetur beneficio libertatis, quam si hoc patronus eius oblatis precibus impetrauerit.* Altera a. CCCXXVI. data: [4]) *Si is qui dignitate Romanae ciuitatis amissa Latinus fuerit effectus, in eodem statu munere lucis excesserit, omne peculium eius a patrono vel patroni filiis, siue nepotibus eius, qui nequaquam ius agnationis amiserunt, vindicetur.* Notat IAC. GOTHOFREDVS, [5]) non omni ex parte conuenire has, quas modo excitauimus, leges. Etenim in prioribus et omissam esse libertorum reuocatorum differentiam; et ob leues simul offensas datam patronis libertatis adimendae potestatem. Creuit successu temporis ἀχαριστίας odium. Nam et milites libertinae conditionis, si in patronos ingrati deprehensi fuissent, eodem, quo reliqui, loco haberi Theodosius et Valentinianus Augg. voluerunt. [6]) Iustinianus ingratae mentis crimen in libertis adeo detestatus est, vt medium ipsis locum inter seruos poenae et eos, qui lucri caussa seipsos vendi patiuntur, adsignaret, eandem-

que

omnibus poenam, amiſſionem libertatis, maximamque adeo capitis deminutionem irrogaret. 7) Hinc et tutelam, quae eſt poteſtas in capite libero, tum ſtatim finiri voluit, ſi quis, vt ingratus, a patrono pupillus in ſeruitutem redigatur. 8)

1) Ita GVIL. a LOON *de manumiſſ. ſeru. ap. Rom.* L. II. c. 6. §. 3. p. 117. IOACH. POTGIESSERVS *de ſtatu ſeru. apud Germ.* L. III. c. 21. §. 1.

2) L. 2. C. *de libertis et eorum lib.* *) Emendant alii: *et haud leuis offenſae,* cui lectioni graeca conuerſio δικαίας adſtipulatur. v. IO. LEVNCLAVIVS *notat.* L. II. n. 196. ap. EV. OTTONEM *theſ. iur. Rom.* T. III. p. 1546. EV. OTTO *praefat. ad* T. IV. p. 3. FORNERIVS ad l. 70. π. de V. S. p. 174. ed. Lugd. CIↃ IↃLXXXIX. f. add. AMBROSIVS *de Iacobo et vita beata* L. I. c. 3. *Opp.* T. I. p. 314. edit. Pariſinae de a. CIↃ IↃC LXI. f.

3) L. 1. C. Th. eod.

4) L. vn. C. Th. *de haereditatis petit.*

5) *Comment. ad Cod. Theod.* T. I. p. 375. ſ. Olim vel ad Latinam libertatem, vel ad ſeruorum conditionem reuocari poterant ingrati. Conf. SALVIANVS MASSILIENSIS *aduerſus auarit.* L. III. c. 7. p. 273. edit. Baluz.

6) L. 4. C. *de libertis et eorum lib. Libertinae conditionis homines vel eorum filii, etiamſi militantes docebuntur ingrati, ſine dubio in ſeruitutis nexum reducentur.* Falſo legem hanc Honorio et Theodoſio Augg. in codice Iuſtiniani vulgo tribuunt, ſiquidem annus CCCCXXVI, quo ſcripta legitur conſtitutio, in imperium Theodoſii et Valentiniani incidit, quorum nomina et l. 2. C. Th. *eod.* praefert et faſti conſulares ap. H. RELANDVM p. 595. exhibent. add. IAC. GOTHOFREDVS *in chronologia Codicis Theod.* p. CXCIV. ſ.

7) Ita §. 1. I. *de capitis deminut. Maxima capitis deminutio eſt, quum aliquis ſimul et ciuitatem et libertatem amittit, quod accidit in his, qui ſerui poenae efficiuntur atrocitate ſententiae, vel* LIBERTIS INGRATI ERGA PATRONOS CONDEMNATIS, *vel qui ſe ad pretium participandum venum dari paſſi ſunt.* conf. THEOPHILI *paraphr.* p. 124. ſ. edit. Fabrott. NOVELLA LXXVIII. c. 2. Huc et teſtimonium HARMENOPVLI pertinet *promptuar. iur.* L. I. tit. 18. §. 17. ὁ ἅπαξ δοῦλον ἐλευθερώσας οὐ δύναται τὴν ἐλευθερίαν αὐτοῦ ἀνατρέψαι, εἰ μὴ ἐξ ἀχαριστίας

8) In §. 1. I. *quibus modis tutela fin. Item finitur tutela ſi arrogati adhuc ſint impuberes: item ſi in ſeruitutem,* VT INGRATVS, *a patrono pupillus redigatur, vel ſi ab hoſtibus captus fuerit.* A vulgatis quidem editionibus

nibus absunt verba: *vt ingratus, a patrono*, sed eadem in antiquis Codd. Bibliothecae Parisinae inuenit CAR. HANNIB. FABROTTVS. V. *notas ad* THEOPHILI *paraphr.* p. 144.

§. XVI.

Num dos libertae ingratae reuocari potuerit?

Tantum quum elucescat vbiuis ingratae mentis odium, quaesiuerunt ICti, an dos etiam libertae a patrono data ob animum ingratum queat reuocari? BALDVS ancipiti responso fluctuat, et, cui tandem sententiae calculus adiiciendus sit, ignorat.[1]) IAC. CONSTANTINAEVS, [2]) si leuis sit ἀχαριστία, eo deueniendum negat, longe aliam vero rationem putat, si qua vehementer ingrata fuerit. Rectius alii [3]) ingratae mentis gratia dotem reuocari posse negant penitus, cum quod meliorem libertae domo patroni exeuntis conditionem esse voluerint Romani, ita vt praeter leuem coercitionem et conuicium non impudicum nihil licere, VLPIANVS [4]) scribat: tum quod sine graui offensa et iniuria mariti dos reuocari nequeat, quem onera matrimonii ferentem ob vxoris flagitium plectere innocentem, foret iniquissimum.

1) Adfirmat ad L. 19. C. *de S.S. eccl.* mox negat ad L. 9. C. *de reuoc. donat.*
2) *Subtil. enodat.* L. II. c. 25. ap. EV. OTTONEM T. IV. p. 600. f.
3) NIC. BOERIVS *decis. aur.* quaest. XXVII. p. 77. CVIACIVS *ad Papiniani responsa* L. IV. Opp. Posthum. T. I. p. 165. A.
4) L. 11. § 7. *π. de iniuriis.*

§. XVII.

Conuicia in libertos ingratos ex marmoribus antiquis.

Non autem solis prodere legibus suum in libertos ingratos odium Romani voluerunt, sed aeri etiam incidi et in marmoribus adseruari curarunt istorum hominum conuicia. Quemadmodum enim memores beneficii libertos blandis *piorum, pientissimorum, obsequentissimorum* nominibus compellare fuere soliti, [1]) ita et nihil omiserunt, quo ingratorum intemperiem, fraudes, iniurias et proteruiam viuis pingerent colori-

loribus. Bina dabo ſpecimina, ex aeterno GRVTERI volumine deſcripta. Prius, atra bile refertum, hoc eſt: [2])

HIC. STIGMATA. AETERNA
ACTE. LIBERTAE. SCRIPTA. SVNT
VENENARIAE. ET. PERFIDAE
DOLOSAE. DVRI. PECTORIS
CLAVVM. ET. RESTEM. SPARTEAM
VT. SIBI. COLLVM. ALLIGET
ET. PICEM. CANDENTEM. QVAE. PECTVS. MALVM
COMBVRAT

Huic aliam iungo inſcriptionem, a mitiori, vt videtur, domino profectam, quam Romae repertam et in aedes Quirinales Barberinorum translatam poſtea etiam vidit ac contulit MARQV. GVDIVS: [3])

C. CAECILIVS. FELIX
ET. C. CAECILIVS. VRBICVS
LOCVM. ITA. VTI. EST. CONCAMERATVM
PARIETIBVS. ET. PILA. COMPREHENSIS. LONGVM
P. VI. LATVM. P. VII. S. CONSECRAVERVNT. SIBI
C. CAECILIO. RVFINO. ET. C. CAECILIO. MATERNO. ET
LIBERTIS. LIBERTABVSQVE. POSTERISQVE. EORVM
EXCEPTA. SECVNDINA. LIBERTA. IMPIA
ADVERSVS. CAECILIVM. FELICEM. PATRONVM. SVVM
H. M. H. N

1) Locos ex GRVTERO quam plurimos collegit EV. OTTO *in praefat.* T. IV. *theſ. iur. Rom.* p. 2. add. MARMORA OXONIENSIA n. XCVI. p. 40. edit. nouiſſ. MARQV. GVDII *inſcript.* p. CCXXI. n. 8.

2) *In corpore inſcript. antiq.* pag. DCXCI. n. 9.

3) IBID. pag. DCCCLXII. n. 5.

CONSPECTVS DISSERTATIONIS

§. I. *Instituti ratio. Ingratus animus an crimen? Paschalius notatus. Diuisio* ἀχαριστίας *in simplicem et praegnantem.*

§. II. *Poenae ingrati incongruae. Quae apud Persas et Macedones? Muretus confutatus. Explicatur Senecae locus.*

§. III. *Ingratus libertus, quis? Pauli ICti definitio reiecta et alia substituta. Officia pietatis. Operae vel officiales vel artificiales seu fabriles. Ingratus animus praegnanter talis. Illustratur Horatius. Libertorum Romanorum proteruia.*

§. IV. *An quodvis libertorum genus ingrati postulari potuerit? De diuisione libertatis in plenam et minus plenam. Plautus explicatus.*

§. V. *Origo poenarum ingratorum libertorum. Num ex lege Romuli? An ex institutis Atheniensium? Officia libertorum Atticorum.* Δίκη ἀποστασίου, *quid? Reliquiae in fragmentis veterum Rhetorum. Examinantur binae, quas Maussacus mouerat, quaestiones. Liberti iniuste accusati plene liberi facti.*

§. VI. *Poenae damnatorum tres pro modo delicti. Infima carceris.* Ἀναγκαῖον *publicusne carcer, an priuatus? Reuocatio in seruitutem frequentissima. Poena venditionis. Iudex ex amicis et tribulibus patroni ab Archonte civi, peregrino a Polemarcho datus.* Πωληταὶ *an bona damnatorum publicarint?*

§. VII. *Casaubonus notatus. Discrimen* ἀπελευθέρων *et* μετοίκων; *item* προστάτου *et* ἐπιτρόπου. *Deprecator, quis? Explicatur Cicero.*

§. VIII. *De tempore, quo poenae libertorum ingratorum apud Romanos coeperunt. Vsus earundem sub libera re publica. Dica Loono scripta.*

§. IX. *Augusti cura in poenis libertorum temperandis. Lex Aelia Sentia quando lata? Notio ad praefectum vrbis pertinuit. De Dosithei loco coniectura. Poena*

certa

certa an per legem Aeliam Sentiam constituta? Opinio Cuiacii et Maussaci expenditur. Num et reuocatio libertatis lege Aelia Sentia permissa? Explicatur l. 30. §. pen. π. qui et a quibus manum.

§. X. *Rigor Claudii in libertis ingratis puniendis. Vtrum constitutionem tulerit, an aliquando ita iudicarit Imp.? Num ad casus pauciores lex ista pertineat?*

§. XI. *Quid sub Nerone actum? cur vltra vicesimum lapidem relegati liberti? Lipsii ac Petiti coniecturae. An forte vltra centesimum? Explicatur locus Taciti. Num in Campaniam relegati? Confutantur S. Petitus et Iac. Gotbofredus.*

§. XII. *Noxia Domitiani Imp. clementia. Traiani solertia in restituendis patronorum iuribus. Martialis et Plinius illustrati.*

§. XIII. *Carceres libertorum ab Hadriano sublati. Seuera Commodi Aug. constitutio. Quis sensus? Confutatur sententia quorundam, libertos conditionem suam etiam in venditione retinuisse.*

§. XIV. *Constitutiones Septimii et Alexandri Seuerorum. Obsequii non praestiti velamentum, quid? Qui reuocari non potuerint? Per procuratorem libertos ingratos accusare permissum. Perduellium liberis salua patronatus iura. Filiis ex solo ingrati capite reuocare libertatem licere, Diocletianus et Maximianus edixerunt.*

§. XV. *Constantini M. constitutiones binae. Qua re differant? Num primus post Claudium reuocationem libertatis permiserit? Theodosius et Valentinianus in milites idem statuerunt. Leges Iustiniani de libertis ingratis.*

§. XVI. *Num dos libertae ingratae reuocari potuerit? Negans opinio binis argumentis probata.*

§. XVII. *Conuicia in libertos ingratos ex antiquis marmoribus.*

LVCIANVS *in Abdicato*, OPP. T. I. p. 722. *edit. Graeuian.*

Καὶ μὴν οἵγε νόμοι καὶ ἀχαριστίας δικάζεσθαι διδόασι κατὰ τῶν τοὺς εὐεργέτας μὴ ἀντευποιούντων.

DE